

**Disputatio inauguralis medica, sistens historiam lienosi ... / Publico eruditorum examini submittit Johannes Bacmeister.**

**Contributors**

Bacmeister, Johann, 1680-  
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Typis viduae Georg. Henrici Reisii, 1707.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tmmsp43s>

**License and attribution**


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30770695>

Q. D. B. U.

DISPUTATIO INAUGURARIS MEDICA,  
sistens

HISTORIAM  
LIENOSI,

Quam in Alma EBERHARDINA

Ex Decreto Gratiſſæ Facultatis,

PRÆSIDE

*Nobiliffimo, Ampliffimo, Excellentiffimo, Experientiffimo,*

N. RUDOLPHO JACOBO  
CAMERARIO,

Phil. & Medic. Doct. ac Prof. Publ. Ord.  
celeberrimo.

Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu  
ætatem colendo,

PRO LICENTIA,

Summos in Medicina Honores ac Privilegia

Doctoralia legitimè capessendi

*Publico Eruditorum Examini ſubmittis*

HANNES BACMEISTER, Travem-Lubecc.

*Ad Diem . April. horis antemeridianis.*

IN AULA NOVA.

TUBINGÆ,

Typis Viduæ GEORG. HENRICI REISII.

ANNO R. S. MDCCVII.

INSTITUTIONE ACADEMIAE MEDICAE

HISTORIA

THE

OF

THE

N. REIDOLPHO JACOBO

CAMERARIUS

et aliorum

receptorum

et aliorum

receptorum

receptorum

receptorum

receptorum

receptorum

receptorum

receptorum

receptorum

receptorum

receptorum

receptorum

# VIRO

*Per-illustri, Generoso atque Excellentissimo,*

*DOMINO,*

**N. JOH. Nobili de BACMEISTER,**

**Sacræ ac Invictissimæ Cæsareæ Majestatis**

**Confiliario Aulico,**

**renissimi item Ducis Regentis Würtemb.**

**Confiliario Intimo,**

**NEC NON**

**Statuum Provincialium Circuli Suevici**

**Syndico longè gravissimo.**

*mino Mæcenati, Patrono ac Consanguineo meo submisso*

*animi obsequio patria sanctitate devenerando.*

VIRO itidem Inlustri,

*Magnifico, Amplissimo, Consultissimo, Excellentissimo*

DOMINO,

DN. FERDINAND. CHRISTOPHORO  
HARPPRECHTO,

Jcto Consummatissimo, Sacri Imperii Palatii  
Comiti inlustri, Antecessori in hac Alma an-  
tiquissima Eberhardina longè celeberrimo,  
Supremi Dicasterii Würtembergici Assessori  
gravissimo, Decano t. t. Facultatis suæ  
Juridicæ Spectatissimo,

*Domino Patrono, ac Studiorum suorum Promotori*

*certissimo, summo.*

Paginas hæc Inaugurales in subjectissimi ob-  
sequii tesseram, ac pro ulterioris Patrocini  
commendatione, more Veterum

D. D. D.

RESPONDENS.



## PRÆFAMEN.



Isto Tibi B. L. Historiam curationis non minus raræ quam sanstæ, atque aded dignam commemoratione & deprædicatione publica, tam in majorem DEI gloriam, qui sanavit Miserum, quam in spem & solatium Proximi, si quem fortè quid simile maneat.

In antecessum si pro more quid monendus es aut rogandus, hæc duo habe: Primò, casum conceptum esse ex ore ipsius quondam Ægri, prout memoria adhuc suppetit, & pro conditione ætatis tum ad huc Pueri, nondum gnari omnium, quæ attendere aut desiderare posset peritior, curiosior; unde accuratio-  
ra omnia & perfectiora potuissent dari, si communicare licuisset cum ipsius tam fidelissimis Medicis, (JOHANNE inprimis illo BAC-  
MEISTERO, Professore Rostochiensis, ac Medico Mecklenbur-  
gico, Viro in medendi arte ad amissimam doctissimo, Patrino ac Con-  
sanguineo meo post busta colendo) quàm charo Parente; sunt au-  
tem omnes *νῦν ἐν ἀγῶνι.*

Secundò, resolutionem casus Tuo submitti judicio; quæ in re obscura & difficili videbantur verosimilia, paucis hic comprehensa sunt paginis; meliora & clariora docenti suæ erunt gratiæ. Ego quidem Familiæ in gratiam conjunctissimæ cum Tertium Examen Publicum in Disputatione Inaugurali mihi esset subeundum, circa hujus Thematis evolutionem experiri volui vires ingenii, vel ea de causa, ne & ipse videar declinare, quod ab aliis desideratum, sed & à non uno fuit recusatum, sub prætextu obscuri nimis & ignoti affectus. Aggrediar itaque rem ipsam bono cum DEO; implorare enim æquum est auxilium illius, à quo & veritas & sanitas. Ecce Tu Domine Rex meus & DEUS meus, Tibi serviat, quicquid



quid utile: Puer didici, & Tibi serviat, quod loquor, quod scribo, quod lego & numero. (August. Lib. 1. conf. cap. 15.) Faxit.

## HISTORIA.

**P**uer VIII. annorum, Patre satus hypochondriaco & scorbutico, ad mare Balticum, per frequentes Febres tam tertianas, quartanas, quam & continuas magis, talem ac tantam sensim in hypochondrio sinistro contraxerat duritiem, ut instar disci orbicularis à costis spuriiis & regione lumbari ad umbilicum usque se extendens, superiorem & sinistram abdominis partem in totum occupavit, cum notabili quidem incremento & decremento per alternas lune phases, ut luna crescente augeri, decrecente iterum inminui observaretur placenta ista subcostalis. Postquam diu sed frustra oppugnatus fuisset hic tumor medicamentis tam externis quam internis, nimis quippe pertinax, ut pertasum fere fuerit omnis laboris; tandem concessus fuit cura atque opera cujusdam foeminae plebejae Verno tempore, quae herbulam indigenam, dictam in vernacula die Myrrheni cum butyro obsoleto in sartagine ferrea tostam, post inunctionem undique liberalem, instar epithematis regioni tumenti calide applicando, hancce curationem in aliquot septimanas protraxit, cum doloribus aegri sub actu inunctionis per totum corpus imprimis circa scapulas & totum dorsum tractum gravibus, intensis, & exquisitis. Videbatur dum hac sustineret Puer intumescere dorso, sed sine progressu; fuit enim id ope Medici vel repressum vel discussum. Supervenit autem tuberculum quoddam rubens, ardens, dolens ad contactum, super ipsum pectus anticum, infra papillam sinistram, cui tale ac tantum accessit augmentum, ut circa tertiam septimanam perveniret ad magnitudinem mammae muliebris sat grandis, praë quã incurvo & retracto in sinistrum latus corpore ad modum aegrè incedere cogebatur, & sub doloribus intensis consumebatur miserabilis. Cum durus atque pertinax hic tumor recusaret spontè aperiri, & eluderet omnem malaciorum energiam, oportuit tandem institui incisionem in ipsius summo, ubi oculus ut ajunt, suae maturitatis faciebat indicium; hinc autem facili opera obtentum fuit pūs bonae notae, eductum, per vices, bis terve in die ad 3. 4. uncias, non modo cum citâ subsidentia illius quasi mammae praeter naturalis, sed & eo cum successu, ut simul placenta illa sub costalis evanesceret;

ret. Mansit hinc diu apertum ulcus fundens per septimanas imo menses suam materiam, cannula alata obturatum, per injectiones subinde mundatum; donec tandem post ipsas XIX. septimanas clauderetur, idque per DEI gratiam constanter. Vivit enim quondam eger modò liber à tumido hypochondrio, insignis tamen cicatrice, etate quidem viginti, juvenis floridus.

## RESOLUTIO.

Duo sunt in hoc Casu, quæ bipartiuntur laborem meum: Contractus per multas longasque febres tumor sub & ab ipso costarum margine sinistro in abdomen protensus; & Abscessus ipsi superveniens, seu tumor super pectus anticum exortus, apertus, & priore absumto consolidatus feliciter.

Esto prima statim thesis: Fuisse Puerum, ægrum illo tempore, lienosum, splenicum; subjectum, quod intumuit, fuisse lienem; morbum quo laboravit, molem auctam; paucis lienem magnum. Huic sedi favent causæ, hanc designat locus, hanc & exempla firmant.

Non ignota quidem sunt verba Etmulleri in Epit. coll. præ: *Dolor hypochondriacus, qui in hypochondrio sinistro percipitur, lieni adscribi nequit, quia punctorius est & terebrans, quandoque cum tumore ad tactum veniente. Lien autem per se minus sensibilis, vix potest habere dolorem nisi gravativum aut tensivum; ab infarctu nimio enatum; pratereacum in profundo situs sit, ad tactum intumescere nequit. Situs est itaque punctorius dolor in intestinis, partim quidem in jejuno, sed ut plurimum in colo. Recte ista se habent, imprimis circa discrimen dolorum; interim unius positio non est alterius exclusio. Patebit ex sequentibus ipsum laudatum Auctorem Lienis quam maxime habere rationem in casibus nostro affinis. Sive ergo solum, sive cum omento, pancreate, mesenterio, rene, colo, imo steatomatibus, (aut hæc sine ipso, vid. Boneti. Anat. Præ. lib. 3. Sect. XVI. observ. 22. seqq. Ephem. N.C. An. 8. & 10. Reiselii. Ruysschii obs. 63. &c.) tumeat lien, subjectum placentæ subcostalis esse poterit, omni consideratione dignum: idque ad analogiam hypochondrii dextri. Uti se habet hepar in dextro, sic*  
lien

lien in sinistro latere, ad meteorismum hypochondriorum. At-  
 qui hepar persæpe non vitiatum, sed supra modum adauctum, ob-  
 servante *Glissonio*, fovet puerorum rachiticorum tumorem æqua-  
 lem hypochondrii dextri magnum ac renitentem, sicut digitos sub  
 costas nothas adigere non possis. (Accedunt intestina flatu tur-  
 gida, glandulæ tumidiore per hunc ventrem passim, pro plena  
 ejus magnitudine, tensione & duritie; quarum vel idè mentionem  
 facio, quia memini vidisse Lipsiæ viscera grandinibus consper-  
 sa fœminæ hypochondriaco-hydopicæ, dissectæ ab Experientissi-  
 mo *B. Schambergero*, Præceptore meo desideratissimo.) Quidni ergo  
 & Lien. Si hepar densæ carnis in duplo l. triplo majorè molem potest  
 intumescere, lienem rarioris carnis in quintuplo l. sextuplo majorem  
 excrecere non erit mirandum; ita ratiocinante *Carolo Pisone* de  
 morb. à proluv. seros. Notum est illud *Riolani*: Naturam in  
 nullo Viscere magis ludere quam in liene fabricando. Si geminus  
 interdum lien, *Ephemer. N. C. 2. §.* Quidni tumidus & major. Si  
 novas in vicinia glandulas, lieni undequaque similes, produci con-  
 tingit, quidni augeri poterit ipsum viscus primarium: Tales au-  
 tem Pseudo-lienes exhibet *obs. 51. Ruyschii*. Nec opus vide-  
 tur, hic esse prolixum; si quis enim dubitet, poterit informari &  
 convinci per observationes magno numero prostantes & collectas à  
*Job. Schenckio*, in laudata Anatomia præct. à *Boneto*, & in scholio  
*Ill. Schræckii* ad *obs. 98. Helvigii* per exempla plurima splenis in ma-  
 gnitudine seu ob morbum seu quendam in ipsa conformatione &  
 nutritione errorem naturæ excedentis, &c. quibus recentior iterum  
 accedit observatio *num. 62. Ruyschii* deliene in pelvim prolapso. Con-  
 vincimur enim per consensum tot testium oculatorum, tumores ta-  
 les in vivis utique bene notos, sollicite exploratos & ibi descriptos,  
 qui vel ad ipsam pubem deorsum vel dextrorsum ultra lineam al-  
 bam protendebantur, postmodum à morte fuisse demonstratos per  
 sectiones cadaverum in ipsius, etiam solius, lienis mole auctâ suam  
 habuisse fundamentum, & ad lancem expensos plures quam fortè  
 credat Lector, libras ponderasse.

Favent ut dictum in hoc casu communicatæ causæ tumori  
 hujus visceris. Primò, Dispositio hæreditaria; ut ut enim Pater  
 non dicatur gestasse talem placentam, fert tamen prædicatum hy-  
 pochon-

chondriaci & scorbutici; Depurando quidem illud ab omni iu-  
 rura, ne quis ab erroribus digestionum & motuum in hypochon-  
 driis simpliciter concludat ad nescio quos errores phantasiæ famo-  
 sos. Quidquid modo sit de talibus, hypochondriacus hinc erit, cui  
 terminus est in hac regione querelarum vagarum per reliquum cor-  
 pus, sive ille terminus velit esse à quo, sive ad quem. Iterum enim  
 non refragamur *Et millero*, quando med. th. & pr. instr. obstructio-  
 nes viscerum, liene tumidum, in malo hypochondriaco interdum  
 non tam radicem & causam talis morbi, quam potius productum  
 esse vult. Sufficiat hoc loco declarare, Patris liene vix fuisse omnis  
 abis expertem, tanquam viscus in hypochondriacis & scorbuticis  
 communius male affici solitum. De convenientia autem & diffe-  
 rentia horum duorum, scorbuti & aff. hypochondriacæ, huc appli-  
 cabit B. L. quæ *L. Schræck* in schol. ad obs. 101. *Helwigii*; ubi plura.  
 Compertum autem fuit insuper, Patrem (nondum quidem con-  
 generaret nostrum, post annos tamen) laborasse hæmorrhoidibus,  
 quæ quidem accusatam visceris labem, ut ut tunc adhuc in fieri, ple-  
 tius firmant; nam vel respondent lieni male habenti, vel depen-  
 ent ab eo. *Piso* in præfat. laudati operis notat familiarem istum  
 tumorem in constanti ætate iis, quibus idem splen magnus & calidus  
 est & simul cutis densa, ideoque corpus obnoxium plethoræ ad-  
 arterias, eique serosæ. Lienes ἀμφορότεροι καὶ ἀμφοτεργυνές, san-  
 guifluos, cum *Hippocrate* suo, vocat *C. Drelincurtius* in singula-  
 dissertatione de lienosis. Vero simile itaq; genitum fuisse similem  
 generanti, cum potentia plus minus remota vel propinqua; sive jam  
 in instrumento, scilicet conditione visceris, sive in tinctura medii,  
 ut denique in principii nescio qua idea radicem aut semen hæredi-  
 tatis quis quærat. Generali enim huic difficultati modò ut impli-  
 emur, non opus est. *Thom. Bartholinus*, loco non semel citando in-  
 sequentibus, iusto laxius lienis parenchyma à prima origine tale,  
 nativum, accusat, vi cuius aptior unus præ altero ad imbibendas  
 humiditates. Hoc sensu naturâ lienosis *Hippocratis* explicat *Dre-  
 incurtius* l. c. lienis tegmen atque subtegmen aliis firmitus, stri-  
 ctius, aliis rarius, laxiusve proponens.

Secundò, arguit liene Patria. Ita a. comparatum est cum  
 morbis simul hæreditariis atque endemiis, ut complicari videantur

Ipsiurationes, & dabitur sit per casus, cujus peiores sint par-  
 tes, patriæ an parentum? Lienēs quidem magni nulli affectui si-  
 miliores sunt quam scorbuto; nullibi frequentiores, quam ubi en-  
 demus scorbutus: Hic lieni, ut siphylis hepatis, vult adscribi. Ita-  
 que *Wepferus* olim ad *Bartholinum* transmisit Historiam suæ ægræ  
 splenicæ, tanquam ad eum, qui in illis oris vivat, ubi frequentio-  
 res sunt lienēs magni quam in his regionibus; Nec fefellit eum  
 sua spes, nam in responsoriis mox propriæ uxoris, fratris & alio-  
 rum tales historias subministravit *Bartholinus*: Is ipse, qui in med.  
 dan. dom. scorbutum & lienēs magnos diversos affectus esse do-  
 cuit. Prout etiam *Listerus* tumorem lienis, veteribus cognitum, non  
 agnoscit esse prorsus eundem cum scorbuto recentiorū, quem præten-  
 dit ab istis non fuisse scriptum tali industria, ac tantus morbus meruit,  
 inde concludens, fuisse adhuc loci alicujus remoti & tunc temporis  
 parū noti (*Plinium* milites in maritimis Belgii stomachicam & sce-  
 letyrben passi docuerunt.) indigenam. Epicrisis placet *Laud. Schra-  
 kii* in schol. ad obs. 98. *Helwigii*: Sæpe in scorbuto magnam in mo-  
 lem extumescere illud viscus, licet & sæpe absque illo scorbutus in  
 corpus delæviat. Quæritur autem causa scorbuti in aëre mariti-  
 mo, in aquis impuris, in victu crasso, falso; quæ pro more *Pechlinus*  
 in obs. 67. doctè exposuit. *Hippocrates* d. aer. & aq: palustres, stabiles, &  
 lacustres aquas, æstate crassas, olidas, hyeme glacie & nive turbidas,  
 bibentibus, lienēs semper esse magnos. Frisorum vulgus, quod pro  
 potu quotidiano utitur lacte ebutyrato acido, plerumque magnos  
 Lienēs habere, legitur ex *Lindano* apud *Dimerbrockium* anat. lib. 1.  
 c. 15. ubi plura quæ huc facerent. Etiam Vaccæ, ut ajunt, ab  
 aquis & pabulo locorum quorundam humidorum, vom sauren  
 futter, magnos Lienēs acquirunt; Ex equis item, ad rhenum quot  
 milites nostri perdiderunt multos, relatum est tumidis affectos  
 fuisse Lienibus. Quanquam ergo æger adhuc paucorum en-  
 norum de Patriæ fermento nondum participavit, quantum adul-  
 ti, dispositus tamen jamdum per lac maternum & vaccinum, per  
 diætam crassiorem, cui sensim assueverat, vix potuit manere prorsus  
 immunis; si vel maximè aeris aut contagii nulla habeatur ratio.

Tertio, quæ præcesserunt febres omninò causæ rationem su-  
 stinent

inent. Hippocrates lect. 3. aph. 22. *Autumno fiunt febres quar-  
 tane, erraticae, splenes.* (An splenum tumores in specie, an affe-  
 ctus in genere?) Videtur ordo naturalis esse in his verbis. Huc jam  
 et mullerus ex Ep. coll. præc: *In cura quartanarum medicus tangat  
 hypochondria, & observet, an adsit tumor, durities, aut scirrhus Lie-  
 nis, hepatis, aut mesenterii, &c. Sæpè hic adest vitium Lienis.* Hinc  
 ergo venit, aut huc pertingit quartana. *Quartana vel invenit vel  
 incit scorbuticos, (spleneticos.) Ill. Wedelius, Præceptor, Patronus  
 & Hospes quondam ad urnam usque devenerandus in Exerc. sem.  
 math. C. Pisoni raræ sunt febres, in quibus à sanguinis recursum am-  
 plo visera, aut saltem alterum ex iis, non intumeat ut plurimum,  
 leonexiam serosam boreas strinxerit è circumferentiâ in præcor-  
 dia, in fontes seri, quos statuit hepar & Lienem, loc. cit. Et  
 præfat: ex contumacibus horroribus, qui principia paroxysmo-  
 rum quartanæ comitantur, arguit spontaneam inclinationem & re-  
 cursum sanguinis arteriosi in Lienem; (non excluso pancreate & re-  
 quâ viciniâ.) Ibi fontem febrium ejus generis esse creberrimum.  
 Selmontis quartana non differt à cognatis Febribus materiâ (quam  
 tamen alii fixiorem, lentiolem notant) & efficiente; In hoc  
 tamen exlex est, quod penitus subire videatur, s. extra con-  
 tubernia stomachi, porrigens se ad splenem, in cujus nedum corpo-  
 re, verum in ipsismet ejus arteriis, sedem ipsi finxit: nam acidum  
 & prima in sextam huc digestionem immediatè si deferatur,  
 lest mox quartana, à coagulato sc. ibidem peregrino. Ma-  
 ria autem, qua tumet durus Lien, non est causa occasionalis  
 quartanæ, sed productum sub torturis, quas splen toleravit pluri-  
 mas; digestionum saburra residua, durities ex transmutatis erroneis,  
 major, quo gravior præcessit splenis afflictio. Hippocrates d. af-  
 & edit. Foef. part. 5. pag. 81. ubi de tumido Liene: *Oritur mor-  
 bus, ubi ex febribus & vitiosa curatione bilis aut pituita, aut utraque,  
 Lienem decubuerit.* Et pag. 59. provocat ad sensum lienosorum,  
 quod experti fuerint, si amplius biberint, aquâ per vesicam alibi ve-  
 non dimissâ, viscus illo humido ad se tracto attolli. Prolixè hoc eti-  
 am urget Pison, & in argumentum intemperantis illius attractionis  
 vocat duram alvum, splenicis familiarem. Sed viæ è stomacho*

in Lienem non aliæ sunt notæ, quam illæ chyli in & per sanguinem ad viscera. Pæro, cujus historia modò examinatur, Februm utique fuit abundè; quia potus intempestivus, excessivus, aut curatio incongrua, accusari non possunt, nam de his nihil in casu, itaque solis istis insistendum febribus, quæ utique vel per se videntur sufficere, quæ tam multæ, tam frequentes. Poterit accenseri fungosus lienis tumor phymatibus illis, ex febre diuturna laborantibus oriri quæ solent, juxta aphor. 44. sect. 4. Huc etiam spectant illa Epid. lib. 2. sect. 3: *Quæ relinquuntur in morbis post judicationem, recidivas facere nata sunt. Primum igitur lienum elevationes, nisi in articulos finiantur, aut sanguis fluat; hypochondrii dextri intentio, nisi profluant urina. Hæc enim utrorumque est interceptio; & recidivæ horum fiunt merito.*

Hæc & plura in culpam lienis rejecta communiter à veteribus, verificantur utique per observationes; ætiologia autem minus probatur recentioribus, quorum diversa physiologia lienis non potest non post se trahere diversam pathologiam. Si potuisset demonstrari proprius specificus liquoris, ut bilis ab hepate, ita melancholix cujuscunque à liene, ductus excretorius, aut forte hinc deduci vicini pancreatis succus, expeditior res foret; sed cum neutrum liceat, nec sanguinis per fibrosam texturam transeuntis commisuratio sufficere videatur, nec per nervos materiam quandam sanguini infundi vero simile sit, fermenta item viscerum non probentur omnibus, &c. aliunde usum deducere conveniet. *Jos. Zambeccarius* in app. ENC. D. 3. A. 4. post multa experimenta splenum viventibus animalibus exsectorum, adhuc incognitum sibi splenis usum confitetur. Observat *Drelincurtius*, venam splenicam vehere sanguinem, cui nihil decessit in splene; parum quod lymphatica vehunt destinatur promovendo chylo; ipse ergo sanguis multi ferri dicatur promovendo sanguini crassiori venæ portæ per hepar. Huic utique communiter audit lien Viscus adjutorium. An proin & hæc ratio arteriosus hujus visceris? Prævalebit acidum, non producta vel læsa bile in hepate, culpa vel propria hujus vel aliena præparantium viscerum, lienis, omenti, &c. Molem autem lienis augebit, quicquid vel ex toto corpore & sanguine per arteriam huc pellitur, vel hinc refluxu prohibetur. An hoc sensu verum illud

illud *Heurnii* in *Comment. aphor. 22. Sect. 4?* Hepar se exonerare in lienem validè. Occasionem præbebit conditio nervorum; horum quippe copia fere major quam pro rato hic attenditur; horum potiore esse vim in passionibus, quam ipsius lienis, prærendit *Etmüllerus* loc. cit. cap. 13 §. 10. An itaque convenientior magno lienis strictura fibrarum detinens, an relaxatio & enervatio facilius admittens materiam alibi repressam, quæ lienem infarcit, sub fluxibus & refluxibus microcosmi sæpius afflctum?

Orta & mota fuerunt sub ipsâ horum deductione quædam dubia. Ea subticere nolui; num satisfacturus sim ipsis, conflictus docebit. Si fuit lien magnus, quam gestavit placentam subcostalem Puer, cur non laboravit illis morbis, quos *Hippocrates* adscripsit lienis magno? Ita enim legitur in aphorismis novis *Jacobi Sponii* num. 68. Sect. 3. quod ex *Hippocrate* & *Celso* etiam passim citatur: *Quibus lienes magni sunt, color cutis mutatur, & niger apparet, aut rubicundus puniceusve, & gingivæ malè olent, & quæ sunt circa dentes abscedunt, aut in cruribus ulcera erumpunt, qualia epinyctides, & nigra cicatrices fiunt.* Respondent utiq; sibi adversæ rationes: quemadmodû hic puer lienosus non fuit passus ulcera oris & crurum, ita lienem in affectibus hypochondriaco-melâcholicis ab omni culpa absolvere perfectiones cadaverum voluerunt *Highmorus*, *Glissonius*, *Sylvius*, & tres citati in scholio ad obs. 100. *Helw.* Quicquid sit de hoc posteriore paradoxo; (cui responsonem pararunt *Diemerbræck* cap. cit. *Etmüllerus* l. c. cap. 13. §. 3. Meretur commendari diligentius & accuratius examen viscerum per differentias morborum & personarum.) ad prius videntur suppetere responsones ex ipso *Coo.* Huc enim spectant accusatæ prius lienum elevationes, tanquam morborum reliquiæ & recidivarum fontes. Ita terminant ipsæ morbos, ut eosdem vel congeneres ainitentur, si non statim, suo tamen tempore venturos; quod omnino metnendum erat Pueri sibi relicto. Recte *Helmontius* notabilem historiam senis asthmatici orditur à cunis puerilibus, cum quartana toto biennio conflictaretur, utur præter spem omnium per crisin multasque sedes convaluerit. Deinde *Hippocrati* lib. 7. *Epid. Anaxenor* splenicus notatur fuisse pravi coloris; huc ergo transcribam verba *Vallesii* Commentatoris: *sunt quidam, quibus lien valde durus est & magnus, color vero faciei &*



reliqui corporis non ad modum vitiosus, quod quidem neque admodum grave neque periculosum est; significatur solum vitium lienis, partis non adeo nobilis: cum vero accedit vitiosus color, significatur jam magna excrementorum redundantia, reliqua viscera & totum jam corpus vitians. Tertio, Hippocrates ipse illa verba, quæ excerptæ Sponius, non protulit absolutè intelligenda de Liene magno, sed cum restrictione ibidem positâ ad biliosos, in oppositione expressâ ad pituitosos; Illi malè colorati, ulcerosi &c. dicuntur: His autem minus contingunt talia. Addit, succedere quibusdam hydropes; quibusdam purulentus fit lien & nstione convalescunt; quibusdam etiam durus & magnus ad senectutem usque perseverat. An itaque fuit Lien Pueri de genere illorum, quorum apud Schenkium excessiva quidem legitur magnitudo, substantia autem sanorum visceris substantiæ penitus respondens; qualem secuerit Vesalius adolescentem minimè valetudinarium. Non fuit ab acido corrosus, non fudit amarum, non diffudit tabe, picis navalis ad instar; non carcinoma, quod vel subjectum Colon arroserit; qualium mentionem facit Drelincurtius: cui adde Lienes dissolutos & friabiles Diemerbræckii & Pisonis. Furem quendam refert Hartmannus in E. N. C. 2. 9. 11. per vitam gelasium, aded ut nec coram iudicio à risu temperarit, quandò sua recenferi scelera audivit; atque splen ipsum ridere fecit, siquidem risus huius visceris magnitudini debetur, vastus enim ipū erat, & in lobos divisus, hepatis alteram partem adæquans. Noster Puer dicitur fuisse tristis, taciturnus: Itaque unum viscus, sed modo non uno se habens, faciet modò Democritum, modò Heraclitum. Viderint Politici, quàm benè compararit Trajanus hoc viscus Fisco, quia populus solet depauperari fisco ditescente, uti corpus deflorescat, excrecente Liene; juxta illud Coi: Ex iisdem & lien augetur, & corpus contabescit. Spigelius observavit, eos qui amplas habent venas, habere Lienes majores, atque ided macilentos facilis, quam pingues, in tumidos Lienes incidere; quod criteriis melancholici temperamenti, habitus spleneticorum, accedet.

Intumuit ad Plenilunium Placenta, diminuenta ad Novilunium. Hoc non inauditum: Quippe apud Schenkium legitur Lapis ferè trium unciarum repertus in Liene Fœminæ nobilis & Jovis,

venis,

venis, quæ subinde Plenilunii tempore gravissimè ex sinistro latere  
 ad triduum usque affligebatur; quo exacto dolor eò usque remi-  
 sit, donec novum Plenilunii punctum instaret. *Hippocrati l. c. p.*  
*no.* Lien in primo morbo, bilioso, subinde eodem die magnus &  
 interdum minor observatur; sed p. 81. talis Lien ipsi durus sem-  
 per æqualis magnitudinis: *Pituitosis autem aliàs major, aliàs minor*  
*redditur.* Passim utique Lienis textura rara, laxa, spongiosa at-  
 tenditur ab *Hippocrate*; spongiæ vitam vivere lien visus est *Heb-*  
*montio*; *Ruyfchio* audit glandula sanguinea. Comparatur ergò  
 strumis juniorum nondum inveteratis, quæ similiter moveri so-  
 lent ad Lunæ Phases, ut notorium. Physico-Astronomorum erit  
 modò determinare influxum Lunæ, per transmissionem humidi,  
 aut pressionem interjecti fluidi, vel modo quocunque meliore, expli-  
 candum. Historia & ætiologia *Laurentii Jouberti* de Paralytico  
 quantum conveniat cum nostra, in conspectu patebit. *Drelincur-*  
*tio* Lien elatior assurgit pastu largiore, motu celeriore, ira servi-  
 liore, & animo mœstiore; depressior subsidet thessalico jejuni-  
 o,ocraticâ quiete, (hæc enim ipso momento impetum Lienis fero-  
 cius veluti frænâ, sed protracto morbo fovet) & stoicorum a-  
 liaphoriâ, nec non pyrrhonis apatheâ. Imò citius adhuc tota  
 commotio sedatur democriteo risu; ocynus insuper & piè, animo  
 æto, non unum vultum, sed & Lienem benè afficiente. Et in  
 sequentibus: Lienis tumores fugaces modò tumultuantur modò  
 lent, juxta diætæ vitia, & veteris suæ spurcitiei misturam vari-  
 am atque variam; imò juxta fermenti novi vel parcioris & mitio-  
 ris, vel uberis & acutioris accessum; idque vel pyret. δῶς, vel  
 pyret. ἰῶς, ita tamen, ut Lienalis ille tumor febris incendiarius non  
 est, verum febrile symptoma.

Objicitur, Soror ægræ Virgo nobilis, ordinario tempore Tribu-  
 m Lunare solvens, & Fœmina insuper non una ibi locorum, quæ  
 conceperit & pepererit feliciter, non obstante placentâ hypochon-  
 driacâ; quod vix videtur consistere cum tanto affectu talis visce-  
 ris. At at, etiam hoc observatum fuit alibi & aliis. Apud *Schen-*  
*ium Donatus*: *Scimus nos nobilem mulierem Lienem aded ingentem ha-*  
*uisse, ut universum abdominis spatium occuparet, quo tamen non ob-*  
*stante plures filios peperit, rectè & exactè admodum formatos, non sine*  
*omnium.*

*Genium ingenti admiratione, qui adhuc vivit.* Comitissa, cujus  
*Gratia Barthol nam consulat* We, ferus, neglexerat Lienem suum  
 tumidum, mobilem, indolentem, à conceptu tulit eum valdè mo-  
 lestum, à partu putavit delapsam ut herniam; porro aborumpassa,  
 ulterius incrementum citra notabilem actionum læsionem tulit,  
 servavit habitum corporis obesum, faciem roseam, &c. quid enim  
 opus exscribere historiam, cum mereatur legi tota. Optima verò  
 fuit fors illius primiparæ ex instructissimo Observationum promp-  
 tuario E. N. C. 1. 8. 95. quæ Virgo adhuc à doloribus & sympto-  
 matibus hypochondriacis contraxerat tumorem splenis, commo-  
 dè tamen satis sese habens, agilis quippe choreas ducebat, utut to-  
 tum hypochondrium lapidis instar durum tangeretur, & scirrhus  
 ad mediam penè abdominis partem se extenderet: Hæc enim non  
 modò foetum peperit sanum, sed & cum ipso molestam ex splene  
 deposuit sarcinam, fluentibus lochiis præter solitum abundanti in-  
 copis, ut tumoris nec minimi, minimum tactu perceptibile, resta-  
 ret vestigium.

Denique Frater fuit (ut Familix malum hæreditarium plene  
 confirmetur) quem cinxit quasi medium placenta talis, sed oblonga,  
 non se continens in hypochondrio sinistro, sed instar cinguli protensa  
 per epigastrium dextrorsum; vix imputanda lieni. Nec hoc ta-  
 men prorsus alienum. In 4. Epid. *Hippocrates* habet oblongū quod-  
 dam supra Lateris inanitatem utriusque, ad umbilicum usque ex-  
 tensum duobus, quibus prorupit urina cruenta. Ibidem notavit  
 quorundam Lienes ad præcordia extensos, & ad manuum tactum  
 murmur aliquod edentes. An recurrendum hinc ad cavitatem illam  
 omenti, quæ est inter lienem, septum & ventriculum, ubi sedes  
 flatuum incarceratorum juxta *Bonetum* ex *Sennerto* & aliis? An  
 compassio fuit Lieni in tali casu cum vicino colo? Inter observatio-  
 nes anatomicas suprà laudati *Boneti* occurrit etiam curatio Vi-  
 ri à *Sylvio* facta, cui tumor in sinistro hypochondrio prægrandis,  
 inæqualis, durusque, brachium æquans, ac dextrorsum secundum  
 frequentissimum coli situm protensus fuerat, Lieni ab aliis Medi-  
 cis adscriptus, cum aliis hypochondriacæ affectionis symptomati-  
 bus. Apud *Plautum Cappadox* hepaticus, cum collativo ventre,  
 inter prolixas de reliquis visceribus querelas, etiam ita: *Lien necat.*

Lien dierectus. (disruptus) quasi Zona liene cinctus ambulo. Gemellos in ventre habere videor filios. Hunc ex professo examinavit *Ans. van der Linden* in *Select. Medic. num. 9.* ubi non admittit, quod utrinque & à dextra & à læva cinxerit illum Lien, sed quod tunc hinc jecur hinc lien tumentes impleverint atque distenderint ventrem, perinde ac mulieris ventrem gemelli: Nec probat exiendi Lienem ab hypochondrio sinistro in dextrum, cingulà modo, ut ut *Serenus*: *Quando Lien tumido circumligat ilia vinclo; nam d fieri retractione septi & constrictione zonæ præterdit, ut quibus quo præcepto pondere Lien degravat thoracis septum, non ambulent illiter, ac constricta nimis arctè zona quis cinctus solet, ac nequit animam vortere.* *Drelincurtius* talem zonam à liene quidem longo etiam & tenui deduxit, insuper tamen proponit arterias lienales, quæ suis anfractibus longè lateque protensis, atque tædiosè pulsantibus, plautinum cappadocem zona qs. cinxerint; ipsas enim non infrequenter validè percuti, ictibus toties fortiter repetitis fornicari, aneurismatum nomine notas, ambagiosas, cellulisque passim excavatas. Et sanè docemur à *Lindano*, in *Plauto* etiam hæc legi, quæ nunc faciunt: *seditionem facit Lien; occupat præcordia cursoris; cor lienosum salit, & de labore pectus tundit.* Misera utique afflictio palpitantis cordis hypochondriaco, dubiè, complicatè, sanguinea, aneurismalis, polyposa, spasmodica, flatulenta.

A Liene Magno quæ jam consequentia ad suppurationem extrorsum? Deducinè poterit inde Apostema mediatè vel immediate? An explicari totum negotium ad analogiam Aphorismi 36. Sect. VII. qui ita se habet: *Si quibus ex Renibus laborantibus adsueverint prædicta signa, & dolores excitentur circa spinæ musculos, si quietem ad partes quæ foris sunt percipiantur, apostema foras expecta: Quod si dolores intrò magis vergant, intus potius expectandum Apostema.* Et Aphor. 45. ejusd. Sect. qui ita: *quibus purulentum Jecur adurit, pus purum ac album effluxerit, superstites evadunt: his enim in tunica us continetur. Sin verò qualis amurca profuat, moriuntur.* Ad priorem quærit *Galenus*; utrum Renibus ipsis suppurantibus id fit, an solis musculis? Respondet *Heurnius* in *Comm*: cuncta hæc veri posse, ostendit usus. *Jll. Wedelius* autem in *Præf. Aphorism.* progressum Paris à Rene suppurato per vestigia foraminum

ad lumbos curiosa observatione demonstrat. Ad alteram spectat  
 observatio 50. *Ruysschii*, qua sistitur tumor hypochondrii dextri e-  
 mollitus, apertus, emisso multo pure & purgato ulcere, sanatus;  
 cum hac ætiologia, gibbam hepatis partem à prægressa inflamma-  
 tione fuisse connatam peritonæo, ut exitus quidem puri concessus,  
 denegatus autem fuerit in abdominis cavum decubitus. Num si-  
 mile quid factum in nostro? Num Lieni jam dum tumido superve-  
 nit inflammatio vergens extrorsum in Apostema? sive juxta teno-  
 rem aphorismi, Vomitam suo conclusam folliculo? Meminit uti-  
 que *Piso* empyematis (latè sumpti) quod succedat hypochondrio,  
 utrique vel alterutri, tenso in febribus continuis, non modò diutur-  
 ni, sed & funesti, ob omissum omne revulsionum genus putrescente  
 tumore sanguineo. *Hippocrates* autem, qui loco citato Lienem  
 quibusdam paralentum fieri dixerat, eos autem unctione confanesce-  
 re, ipse (vel quicumque Autor Libri de internis affectionibus) per fu-  
 os quinque morbos lienis communiter commendat unctionem: Ge-  
 nus curationis inter nos minus usitatum; nisi quantum recentior  
 moxa simile quid præstat. *Zacutus* facilis admittit ferramenta su-  
 per Lienis regionem, sed *Trallianus*, ad quem ea commentatur in  
 med. princ. histor. l. 2. h. 112. de liene tumido chronicè potius, quam  
 acutè per abscessum ad extra terminando videtur loqui. Silentium  
 est de hoc remedii genere in casu Epid. L. 7. §. 103. ubi tumor  
 circa Lienem obortus (non benignus, qui suppuratus fuerit extror-  
 sum) sed malignus, medius inter cancerum & carbunculum fuit,  
 qui gangrænâ externam regionem corrumpit, secundum *Vallesium*;  
 ita autem se habet ille: *Anaxenor in abderis*, erat quidam splenicus,  
 & prævi coloris. Evenit autem ipsi, ortum tumorem circa sinistrum  
 femur repentè evanescere. Non multis autem diebus postea, circa Lie-  
 nem oborta est ei, primum quidem velut crustula, deinde tumor & rubor  
 durus, post diem autem quartam febris ardens facta est. Et circum cir-  
 ca omnia facta sunt livida, & videbantur putrida: mortuus est. &c. Ra-  
 ra omninò atque singularis est observatio, quam *Gabriellus*, *Senen-  
 sis*, communicavit Naturæ Curiosis, num. 279. in Ephemeridibus  
 A. 6. D. 3. ubi prolixior historia mulieris 25. annor. à febre a-  
 cuta (cum tumore in lienis regione, dolore tensivo ac pulsativo  
 ejusdem) hydropicæ, quæ postquam modo extraordinario in-

tumuerat à ventre ad ipsum usque jugulum, citò quidem detumuit ejecto per secessum sero, sed non minus celeri intumescencia iterum correpta succubait; in hujus enim cadavere inventus fuit non modò hydrops externus inter abdominis musculos & peritonæum, sed & rarus canaliculus subortus in ipso liene, cum peritonæi connexionem pro transitu serositatis illius extra abdominis cavitatem in illud interstitium p. n. efformatum. Hæc eò magis hûc spectant, quia visceribus reliquis benè constitutis, in Liene fundabantur sinus ulcerosi, cum peritonæo mediis quibusdam membraculis connexi ac colligati, taliter ut canaliculum illum constituerent. Hæc & talia videntur suadere consimilem ætiologiam pro meo casu; nec tamen dissimulare fas est rationes dubitandi, sive pro negativa. Oporteret Lienem istum fuisse magis anarrhopyon, quam concedet diaphragma: vix potuisset peragi inflammatio lienis suppuratoria sine febre acuta: debuisset doloris, præter antiquum gravativum, novi pulsatorio-inflammatorii principium fuisse in ista placenta, &c. si ex se liene emississet hunc abscessum. Fuit autem altius id tuberculum, fuit puer circa omne illud tempus orthostadios, utut dolori & tensioni sinistrorsum concedens, non tamen in lectum dejectus.

Si videatur non subesse Lien purulentus, nec posse ita immediatè hinc deduci Abscessus; An itaque ex cavo pectoris sub robore naturæ Empyema protrusum fuit benè foràs. An ex superficie Pulmonis Apostema viam affectavit per medias costas? Num concipi debet materia vel causa continens tumidi lienis translata per hepar & cor in pulmonem, in ejus angustiis hæsuræ & in abscessum abitura? Exempla, in quibus tale quid tentavit natura, ars perfecit, eruptionem sc. ad extra, subministrant E. N. C. 2. 3. 146. & 2, 10, 176. ubi fata recensentur empycorum ex pleuritide; quibus num addendus abscessus thoracis ex retrogradis variolis obortus per apertionem curatus, E. N. C. 3. 8. 39? Ita enim invitari & determinari solet paræntesis, per locum non jam electionis, sed necessitatis; cui subesse solet pulmonis ad pleuram cohæsió. Verum enim verò, vix potuisset id fieri sine prægressâ febre pleuro-peripnevmonica; præcessisset intenta respirandi difficultas; cum reliquis in statu pulmonum & pleuræ inflammatorio phænomenis, so-

litis esse valdè molestis : de quibus nihil habet historia. Non meminit æger, unquam prodiisse ærem è foramine tamdiu patulo : Non, sensit se unquam in ore qualitates eorum, quæ per syringam pro eluendo ulcere fuerant injecta. Quin potius recordatur probè, cannulam & specillum communiter cum intruderentur, tendisse non introrsum, sed deorsum.

Quid superest, si nec alter probetur modus, quàm ut totus processus dicatur fuisse terminatus in apostemate externo, salvis non modò membranis utrinque ventrem succingentibus, non perforatis, sed & salvo sive non suppurato liene, imò per superveniens externum apostema salvato? Rationes pro hoc modo erunt omnes istæ, quæ negant illos priores; vix enim relinquent alium præter hunc tertium. Interim de inflammatione & abscessu musculorum abdominis actum non modo in genere à *Doleo* Encycl. chir. l. 3. c. 7. sed & exempla suppetunt passim, e. g. obs. 98. cent. 11. *Rhodii*, de tumore pueri à malè curata quartana; in *E. N. C.* l. 4. 12. *C. Raygeri*, ubi globulus in dextro hypochondrio ex rupto vasculo, ut creditur, ortus post stupendam incrementum, nec minus admirandam evanescentiam, cum rediisset, tandè apertus intra 20. dies 44. mensuras puris dedit, exemptâ etiam per partes membranâ, quâ continebatur propriâ, curatus. Huc spectat abscessus in medio spatio musculorum abdominis à *Galeno* deprehensus, quem nro. 108. inter medicorum principum historias proponit *Zacutus*. Quid vetat, quò minus concipiatur talis abscessus occupans externa confinia pectoris & abdominis? Et quonam modo alio potuerunt contingere abscessus splenicorum sparsim per *Epidemiorum* Libros propositi ab *Hippocrate*? Illi sc. ad *femur* in historia prius excerpta, & l. 4. epidemior. ubi Apemanti sororis filius præcordiis tumidis & Liene, cui vigesimo die abscessus in pedes decubuit, idque ex judicatione; porrò 2. Epid. ei qui ab Alcibiade venerat, & Lienem magnum habebat, ante judicationem testis sinister intumuit; Denique ibidem secundum aurem sinistram tumor, sanguinis fluxus è nare sinistra (omnia κατ' ἄνω) splenicorum, quem alium admittit deductionis modum ab hoc viscere? In genere, qui detumescere debet aut potest lien justo major, sive per eccrisin, sive metastasin, non  
habet

habet viam aliam pro exoneratione sui, quam suam venam splenicam, (nisi lymphaticas quid contribuere posse videatur) & ab hac illam portæ, inde hepar, cavam, donec plenè inferatur sanguinis oceano, quicquid vel quantitate gravans, vel qualitate irritans abhinc deponitur in quacunque corporis particula, quam determinant circumstantiæ individuales. Si detumeat à vomitu oruento sinistrum hypochondrium, fit via vi per vasa brevia in stomachum: si per urinas solvatur talis tumor, ægrè concipi potest, tale quid contingere, utut viciniam hanc proponat *Piso*: Parotides autem & Apostemata per latus sinistrum ex ernum veniunt è communi fonte, per canales communes. Qui vias medicis ignotas, naturæ tamen probè notas, oggerit, habet commodissimam seu expediendi rationem.

Talem subsidentiam aut evanescentiam Lienum tumidorum spontaneam inter alios medios terminos assumpsit *Piso* ad probandum, ipsos non fuisse scirrhosos, quales succedant malè curatæ inflammationi; qui non possent ita obliterari modò sensim, modò affatim: Hinc eos vocat Tumores aqueos, sero intimius parenchymati ad æquale augmentum insinuato, frigidos, ita, ut calida tamen visceris intemperies occasionem dederit laxis, immanibus interdum & prodigiosis tumoribus. Visa fuit talis tumoris conditio transferenda *Platero* à vitiis humorum ad succi modo nutritii copiam vel crassitiem. *Wepferus* l. c. (cum *Dodoneo*) pariter Lienem magnam à scirrho penitus diversum esse inculcat, & observat, contextum (fibrosam lienarem expressâ aquâ admodum contractum, si aquæ immergatur, protinus mirè secundum omnes dimensiones dilatari instar spongiæ, hinc eum (cum *Pisone*) placentæ uterinæ, substantiæ uteri partui vicinæ, reti mirabili bovino comparans. *Drelincurtius* in primis l. c. sollicitè distinguit Lienes coactos, perduros, scirrhosos, tota mole minores, coriáceos, callosos, corneos, (tunica exterior ita condensata, ut corium bubulum crassitie æquet, *Bartholino* ad *Wepf.* cartilagine incrustatos, *Schröckio* Schol. obs. 97. *Helwig.*) ab aliis mollibus, fungosis, pulmoneis, turgidis, expansis, distentis; Imò benè per gradus à sublienosus ad lienosos, & ipsos tandem absolutè lienes, qs. totos tales, ascendit. Favet iste laxior fibrosus contextus diminuendo tumori visceris, in to-



tum vel intantum; favet interna structura lienis, quam comparat *Ruychius* substantiæ nerveo-spongiosæ penis, & pertusas imprimis ibi venas observat, sub differentia tamen lienis humani à vitulino; (cui adde illud *Cowperi*: Non alibi æquè facile transire ceram injectam per arterias in venas, quam in pene, Liene & pulmonibus.) Favet robur fibrarum non planè deperditum, quod metuebat *Wepferus* in suo casu diuturno, vel recuperatum, restitutum, si juxta *Drelincurtium* tono firmo influxum elidat, influxurum arceat: Hinc *Piso* curationem præmissis præmittendis terminat aquâ chalybeatâ, quæ adstrictione quadam veluti exprimat serosum in liene humorem, unaque robur ei adferat mirificum.

Inter quinque illos morbos Lienis ex libro d. int. aff. dolores in manum, in jugulum, humerum & sub scapulam habet, qui fit veis maximè tempore, & est à sanguine; (quem vere moveri dixit alibi *Hippocrates*, & in aphorismis tunc fieri hæmorrhagias.) dicitur autem ille lethalior, cruenta per alvum dejiciens, pluribus malis stipatus. In Casu mihi proposito tam detumescentiæ lienis, quam prurptioni externæ favebat ætas; quæ ob vigorem naturæ tendentis ad incrementum verat ita facile desperare de puero; Instituta fuit curatio verno tempore, quo moveri & renovari solet macro & microcosmus, quo meliori spe aggredimur morbos fixos, saturninos, quàm autumnali: Præcessit periti medici dexteritas, qui externis & internis non modò ulteriori progressui, intimiori radicationi affectus obstiterit, verum etiam remedio empirico faciliorem & feliciorém procuravit operationem: Subsecuta fuit inunctio & impostio placentæ herbacæe tamdiu continuata, per quam dolores in pectus & dorsum protensi, sive per membranas, quibus vicinæ viscerum necitur lien, coactas, sive per molimina fibrarum ad instituendam per latus exonerationem: Imò juvit illa relaxatio, rarefactio, & quasi invitatio naturæ ad hunc locum per ætus toties reiteratos inunctionis per manum benè crassam, duram, prosequentem undiq; dolores istos, eo modo, quo calor dicitur attrahere, quocumque id sumatur sensu; (commodè forsan explicando per locum minoris resistantiæ, qui excipiat humores ed pressos nisu fibrarum alibi fortiorū) ut etiam eo modo fuerit Lien pars mandans, quo non offenditur sanguinis circulus. Interim conversâ huc natura,

incrementum novi & externi, cum largâ atq; longâ ibi scaturigine, tulit decrementum antiqui interni tumoris. Utiq; in dorso jam volebat fieri quædam expulsio, sed, ut dictum, dubiè vel repressa vel discussa. Pertinax autem & victrix tandem naturâ, anticam molitâ eruptionem, instituit ac perfecit motum suum feliciter, sub fideli directione Medico-Chirurgica, inò sub bona providentia divini Numinis: quibus omninò debetur ulcus post XIX. septimanas benè clausum & constanter, secus ac corpus tuac cacochymicum, consuetudo naturæ fonticulum hîc quasi quendam affectantis, & conditio loci malè fistulas fovere soliti, videbantur minari.

Vel tandem attingo remedium euporiston, herbulam illam, die *myrrhen*, quam usurpavit scemina, ad coercendum intra terminos lienem. Quæ verò illa? Non *Myrrha*, nam succus hic concretus est plantæ non maris balthici, sed rubri. Non *Myrrhida Plinii*, nam hæc habetur geranium cicutæ folio, *myrrhinum Tabernamontani*, cujus acuum seminalium non meminit æger; Non humiles *myrica* Virgillii, quæ Angliæ olim inferri meruerunt, teste *Rajo*, quia induratum lienis passionem eximiè juvant: nam tamarix germanica fruticosa est; Non *Myriophyllum*, nam hoc millefolium erectum stat; Non *Myrrhis*, nam hæc altior est ex umbelliferis; sed in *G. Franci Florâ Myrrhen* est *Hippia minor*, vulgatissima *Alfine*, *klein vogelkraut Fuchsi*, in florâ marchicâ *Elsholtii Meur*, *Muur* in cat. plant. indig. *Holl. Commelini*, gallis *Mouron* apud *Matthiolum*, in quadr. botan. *Sim. Pauli Myre*; Cujus verba, quæ sequuntur, dubitare non sinunt, hanc esse ipsissimam nostram: *Contra hypochondriorum inflationes nonnullas mulierculas Alfinæ folia frigere, in butyro rancido, semel atque iterum vidi; sed an levamen ex alfine, an ex butyro, ægri acceperint, hæreo: puto magno errore mulierculas ductas, foliis chærefolii substituisse alfinæ; cum forsân viderint medicum felici successu & ex sententiâ adhibuisse chærefolii fricta folia.* Quidquid sit de hac suspitione, non agatur in meo casu de simplici inflatione hypochondriorum. *Etmüllerus* in *Schroed. elucid: Alfine contusa, & applicata mammis, lactis proventum coercet.* Vires ipsius sunt refrigerantes, vel adstringentes, vel humectantes, nam in hoc dissentiunt Botanici, certè temperatæ, nam de hoc testimonium perhibet lingua, etiam pulli & aviculæ, quibus in escam expetitur. Altera a  
suspi

suspicio de butyro plus habet in recessu, quia larga & longa inunctio plurimum contribuisse prius visa fuit. Hoc seposito, s. per manifestas illas declaretur qualitates, s. specifica dicatur illa facultas, per me iam licet, modò frequentior & diligentior exploratio experientiam reddat minus fallacem. Accedat interim novum argumentum Medicinæ Domesticæ, cum monito, ne temerè contemnantur herbulæ, etiâ vulgares, neglectæ: præsentem monstrat quælibet herba Deum. Maneant laudes euporistorum; fiat utinam eorum familia amplior, certior! Ego memor verborum *Hippocratis*, *Foes. sect. 5. pag. 81.* in quibus post traditam prolixè curationem morborum lienis ingenuè fatetur, ex lienosis nonnullos medicamentis epotis mimè juvari, & ex reliquâ curatione nihilo graciliorem lienem reddi, sed quæ admoventur, à morbi magnitudine superari, memor inquam beneficiorum divinorum, finem facio in laudibus & gratiis tam Bono Domino commendans vias meas:

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

I. **D**E *Pyrrho Plutarchus*: Inerat Ejus dextri pedis digito vis quædam divina, quo premens, splene laborantibus medebatur. Ferunt eo mortuo, cum cadaver igne consumeretur, digitum illum illæsum perstitisse. Quærant curiosi causam in Principe Medico *Morhofii* conferant etiam paradoxos illos sanatores *H. Mori* in schol. *Enthusiasmi Triumphati*, & in obs. 31. 32. libr. 3. *Rechlini*.

II. An *Aspleno Dioscoridis* l. 3. c. 134. *Vitruvii* l. 1. c. 4. pasta pecora fuerunt sine liene non absolutè, sed sine liene magno? Unde *asplenon* dicta herba, non tam à consumendo prorsus liene, quàm à diminuendo solùm tumore? *Filices* utiq; ad lienem usurpant non modò europæi, sed & malabares, apud *Rajum* in suppl. hist. plant. p. 80.

III. *Corn. Celsus* l. 5. c. 18. de suo malagmate ad lienem, ex glandis cortice & nitro cum aceto: Sed manere ibi non amplius sex horis debet, ne lienem consumat. Salsè quidem ridet hunc metum s. cautelam *Drelincurtius*; sed *Etmüllerus* isto medio scirrhum dolentem, cancrorum, in duritiem lapideam indurari posse docuit.

IV. Lien non vult otiosos. Lienoso *Plautus*: Ambula, in lieni optimum est. De primo suo lienoso *Hippocrates* ad medicum: Quod si validus fuerit, triginta diebus ut ligna secet, cogito.

F I N I S.